

STATUTA PIÆ SOCIETATIS APOSTOLATUS ORATIONIS

I. — Apostolatus Orationis est pia Societas, quæ Apostolicum munus divinæ gloriæ et animarum salutis promovendæ exerceat Oratione sive mentali, sive vocali, et aliis etiam piis operibus, quatenus impetratoria sunt, et Sanctissimum JESU Cor nobis conciliare possunt ad predictum finem assequendum. Quare licet Apostolatus Orationis quædam cūm aliis piis Societatibus, ex. gr. SS. Cordis Jesu, et Rosarii viventis, communia habere videatur ; tamen ab iis omnibus tum fine, qui maxime universalis est, tum mediis peculiaribus, quibus utitur, prorsus distinguitur.

II. — Tres sunt hujus Apostolatus gradus pro operum varietate, quæ exercere curat, unde triplex sociorum ordo. Primus gradus (qui essentialis est et omnibus sociis communis) ab iis constitutur, quotidie certa quadam formula suas preces omnes, actiones, et ærumnas Deo offerunt una cum Sanctissimo Corde JESU, et in eos omnes fines, ob quos Dominus Noster assidue interpellat, et se in sacrificium offert pro nobis. Unde amor et devotio erga Sanctissimum JESU Cor valde propria est sociorum omnium qui Apostolatui Orationis accensentur ; siquidem devotione hæc, licet non constituat *finem* Societatis, *medium* est omnium validissimum et prorsus singulare, unde et socii omnes, exemplo Sanctissimi JESU Cordis permoti, ad orationis studium impensius excitentur, et oratio ipsa, una cum eodem Sanctissimo Corde peracta, efficacior evadat, et intentum finem gloriæ divinæ promovendæ assequatur.

Est igitur Apostolatus Orationis Societas ab Archiconfraternitate Sanctissimi Cordis JESU plane distincta et ideo Societates, Ecclesiæ, iique omnes qui sese huic pio operi adscripte, minime censeantur in posterum adscripti etiam Archiconfraternitati Sanctissimi Cordis JESU, Romæ erectæ in templo S. Mariæ de Pace, nisi in eamdem Archiconfraternitatem ab ejus Moderatore rite recepti fuerint.

III. — Alter gradus est eorum qui, praeter illa quæ primi gradus propria sunt, id est praeter orationem, qua sibi conciliant Sanctissimi Cordis intercessionem apud Patrem ut gloria